



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1639.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

Regina verò eòdem misit duas pretiosissimas coronas, unam pro infante Jesu, alteram pro Virgine Matre.

In Calabriâ exeunte Martio horribilis terræ motus urbes consentiam, Stilianum, Nicastrum, aliasque proximas cum omnib<sup>9</sup> pagis concussit, & aliquot penitus obruit. Nicastrii solus Episcopus & Capucinerum Guardianus mortem evasere,

*ANNUS 1639.*

**D**ies 18 Julii sæviendi & vivendi finem fecit Bernardus Dux Weinmarius in floræ ætatis anno vitæ 35. extinctus peste Brisaci, vel ut alii, veneno, Miles & Dux bello clarus & felix. Moriens Guebriantio Armorico Gallo equum & arma, Comiti verò Nassovio, Erlachio Helveto, Ohemio, & Rosæ, primæ admissiois amicis, singulis decem imperialium millia ex testamento transcripsit, animam, cui servivit; eorundem curæ commendatus exercitus.

Vendito Gallis Brisaco Weinmarienses eo asse fiunt Francici, eorundemque stratego Generali Longævillæo, Coronæ Gallicæ Legato certâ tamen quorundam terminorum moderatione, Sacramentum dicunt.

In Saxonia iterum, ut anno priore, res  
Catho-

Catholicorum iere indeterius. Bannerus enim caesis ad Chemnitium Cæsarianis & Saxonibus victoriam Pragam usque propagat, quam tamen adventu Leopoldi Archiducis firmatam irritis fragoribus concutit.

In Italia novi belli semina jaciuntur ex morte Ducis Sabaudia, cujus voluntatē ultimam nullam declarat Cæsar, & contra Christinam Ducissam viduam tutores Caroli Filii constituit Principes Thomam & Mauritium Cardinalem, fratres defuncti Ducis.

Carolus Ludovicus Palatinus ex Anglia in Germaniam spe præfecturæ exercitûs Suecici citatis itineribus advolat, sed jussu Richelii in Gallia detentus ulterius pergere prohibetur.

In Belgio Picolomineus Dux Cæsareus Gallos sub Ficherio ab obsidio Thion villæ feliciter depellit, capitur tamen à Gallis Hessinium arx munitissima in regione Atrebatensi.

Mense Augusto pervenit in Angliam Comes Carolus Rossetus Ferrariensis missus ab Urbano VIII. Nuncius ad Catharinam Angliæ Reginam Catholicam, quam unâ cum Rege & totâ curiâ sibi conciliavit, & exi-

mio zelo cum doctrina & prudentia conjuncto, verbis & scriptis institit, ut Carolus Rex Catholicam Religionem profiteretur, pollicitus illi à summo Pontifice auxilia non modica contra Puritanos & Calvinistas, sed ob insidias & furorem tumultuantium sectariorum primo latere, tum clam ex regno profugere coactus fuit,

*ANNUS 1640.*

**H**ortatu summi Pontificis Ferdinandus Imperator comitia imperialia indicit Ratisbonam pro ineundis consiliis & rationibus componendæ pacis in Germania, quo etiam ipse ad auspicandum opus feliciter proficiscitur mense Junio.

Amoto à Præfectura militari Gallasso exercitibus cum suprema potestate præficitur Leopoldus Archidux Frater Imperatoris, sub cujus auspiciis ipso adhuc mense Februario ductus in Suecos miles, & primo statim impetu expugnatum colinum, & Regio-Græcium, recepta Clumizia, decemque turmæ equitum hostilium ad internecionem deletæ, occupato deinde Leutmerizio & Brandisio totâ Bohemiâ exactus Bannerus Suecorum Polemarchus. Demum etiam crescentibus in dies palmis in manibus